

ut et polica regna justitiæ stemmate laureatus possideat ovans, et sua pignora, quibus Cassinense beatorum cœnobium, a regibus terræ cernuo summissoque venerentur adoratu. Tantis enim miraculorum prodigiis etiam nunc apud suum honorificum larem præpollet, ut ejusmodi rumoris tonitruum transmarinos ultramontanosque principes ad sui pertrahat potenter obsequium. Nec immerito sane terrenis a principibus venerabiliter honoratur, qui regum omnium regi colla summitens, in omni studuit vita sua dignissime famulari. Ipse siquidem per prophetam dignatus est polliceri: ego glorificantes me glorificabo.

Vere quidem insigniter hunc nostrum sacratissimum Patrem glorificavit et glorificat, non tantum in æthereis regnis, sed etiam coram hominibus in terris quo totus agnoscat orbis quanta beatitudinis gloria exaltatur, qui pro ejus nomine studuit in hac vita salubriter humiliari. En illum quem spelæca [spelunca] tenuerunt aliquantulum latitantem, nunc paradisi retinet exultantem; et quem arva quondam habuerunt confectum jejuniis, nunc Olympi gaudia com-

plectuntur tripudiis. En illius vestigiis, quem olim sola Campania noverat, nunc reges terræ litant devotissima oscula necnon permunica munera. Jam nunc ergo, Pater excellentissime patrum, tuam cernui flagitamus clementiam, ut nobis opus tuæ porrigas dexteram. Obstrue, quæso, nostri misertus iniquorum (*Cob. cicorum*) ora crudelia qui tuas fraudulenter gestiunt illicere vernulas. Da solamen tuum, Pater, tuis clientulis quos ad tuum imitandum callem pertraxisti clementius. Pande dignanter, poscimus, iter quo ad patriam pervenitur, quatenus ex tuo grege nullum nanciscatur periculum; ut olim tibi collata talenta communi Domino geminata de nobis restituens, duplici præmio potiri merearis. Nos quoque immeriti per tuum interventum saltem evadamus supplicium, quos ob meritorum qualitatem consequuturos ambigimus præmium. Præstante Domino nostro Jesu Christo qui te, beatissime Pater, adeo sublimavit ut nullo sanctorum (*ita cod.*) post beatos apostolos inferior videaris; ipso utique qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI DCCCCLVI.

AGAPETUS PAPA II.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, conciliorum amplissima Collect. XVIII, 405.)

Agapetus Marino successit, anno Christi 946, tempore Constantini VIII. Hic post multas synodos in causa Hugonis et Artaldi celebratas, Rhemensem archiepiscopatum Artaldo adjudicatum confirmavit. Brunoni Coloniensi archiepiscopo, Ottonis fratri, pallium petenti concessit. Debellatis ab Ottone rege magna victoria Danis, iisdemque in Christianam religionem acceptis, gratulatus est Hamburgensi Ecclesiæ, ejusque privilegia a majoribus accepta innovavit (*ADAM. lib. II, c. 2*).

Hujus tempore post obitum Lotharii Berengarius regnum Italiæ invasit. Otto imperator vero ab Adelheide filia Rodulphi relictaque Lotharii uxore, et Agapeto pontifice, fugata tota Berengarii familia, pro suppetiis ferendis sollicitatus, Adelheidem reginam, olim Lotharii conjugem, uxorem accepit. Idem regnum integerrime defendit. Agapetus, cum novem annis, mensibus septem et diebus decem munere pastoralis bene functus fuisset, ex hac vita migravit.

AGAPETI PAPÆ II. EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. SALVATORIS FULDENSI.

(Anno 946.)

Confirmatio privilegiorum quæ Marinus II papa Fuldensi monasterio concessit.

[*Cocquelines, bullar., privileg., amp. Collect., I, 250.*]

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, HA-

A DAMARO religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribusque tuis abbatibus in perpetuum.

Summam gerentes sollicitudinem omnium venerabilium locorum, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, de eorum stabilitate satagere studemus. Hoc namque studio, et divina placatur clementia, et laus Ecclesiæ Christi procuratur; nam